DE

MORBIS LOBORUM ANTERIORUM CEREBRI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA
GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDUM

SCRIPSIT ET DIE XVIII. M. MARTII ANNI MDCCCXXXIX

PUBLICE DEFENDET

CHRISTOPHORUS MUELLER
RIETBERGENSIS.

OPPONENTIBUS:

MAX. SCHAFFRATH, med. et chir. cand.
HENR. ULRICH, med. et chir. cand.
HENR. TIEKMANN, med. et chir. Dd.

BONNAE,
TYPIS FRANCISCI BAADEN.
MDCCCXXXIX.

PRAECEPTORI ILLUSTRISSIMO SUMME VENERANDO

Friderico Nasse,

MED. CHIR. PHILOS. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

ATQUE

PATRUO DILECTISSIMO MERITISSIMO

Michaeli Mueller,

SACERDOTI.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Physiologica quaedam.

Est Gallii sententia, effusos in lobum anteriorem corporis callosi radios inferiores rerum continere sensum aut facultatem paedagogicam, superiores acumen in comparando atque in dijudicando sagacitatem. Ex latere inferiore apparet locorum, tum colorum, sonorum ac numeri sensus, denique in extremis partibus sensus mechanicus, in summis facetia et facultaspoëtica.

Burdach cf. 1. lobis anterioribus cognitionis objectivae, posterioribus e contrario subjectivae sedem inesse vult, idque ex formatione et situ partium demonstrare conatur adhibita anatomia comparativa. Lobum porro anteriorem cogitandi facultate teneri coenaesthesis ipsi pro argumento est, scilicet quae in inferioribus regionis frontalis partibus sentiatur contentio et Lancisio autore sensus quasi motus cujusdam sub fronte ac vertice in magna cogitationis intentione, eodemque in loco pondus, calor, hebetatio percepta facultate cogitandi impedita.

Serres censet cf. 2, radios corporis striati in lobo anteriore praecipue in pedum motus vim exercere. Inciso quippe canis modici lobo anteriore sinistro paucis lineis supra partem ventriculi lateralis anteriorem,

---

1) Burdach *v. Bau u. Leben d. Gehirns. Bd. III. p. 1037.*

2) Serres, anat. comparée du cerveau p. 688.

pedum posteriorum dexter solummodo flecti coepit; incisione eadem in latere dextro facta, pes sinister claudicabat. Deinde animal, quum progredi conaretur, pedibus anterioribus insistens posteriores secum traxit. Masculo felis catulo priorem utriusque hemisphaerii partem abstulit, ita ut una linea abesset a ventriculo magno. Protinus animal pedes posteriores flexit, seque in anterioribus traxit. In tergo cubare coactum vehementer pedes anteriores agitare coepit, posteriores immobiles erant. Radii thalami optici incolumes, corporis striati sublati erant. Experimenta variis modis repetita eundem ostendebant eventum. —

Delaye, Foville et Pinel-Grandchamp pluries observaverunt, resolutionem pedis scyrrho, mollitie aut extravasato quodam in corporibus striatis aut eorum radiis in lobis anterioribus exortam esse. Andral e contrario cf. 3. in viginti tribus casibus membri superioris solummodo paralytici bis sedem morbi in lobo medio, undecies in corporibus striatis aut lobis anterioribus vidit. — Aliam tandem sententiam, in lobis anterioribus cerebri loquendi facultatis sedem esse, proposuit Bouillaud. cf. 4. Morborum historiis apud Lall. litt. I. p. 19; litt. I. N. 15; litt. II. N. 2, 8, 16; litt. III. N. 17; litt. IV. 16. et Rostan N. 6; 17; 23; 83. etc. exceptis alios a Dr. Desgautieres et se ipso observatos ad sententiam suam confirmandam profert.

3) *Vorles. üb. Krankh. d. Nervenheerde gel. a. d. U. z. Paris im J. 1836. v. Dr. G. Andral, in d. Bibl. v. Vorles. d. vorz. u. berühmt. Lehrer des Ausl. über Med., Chir. u. Geburtsh. redig. v. Dr. F. I. Berend. Lpz. 1838. Lief. II.*

4) Traité cliniq. et physiol. de l'encéph. par M. J. Bouillaud Paris 1825. p. 159.

Haec verba cf. 5. affert: lobi anteriores hemisphaeriis affectis semper laesi sunt, si loquendi facultas aut impedita aut prorsus ex stincta est, loquela autem ex aliis partibus e. g. e medulla spinali affici potest, quae loquendi facultatis affectio paralyseos est sequela. Eo modo Pinelii observationes sententiae suae oppositas, in quibus facultas loqnendi, quamvis lobi anteriores omnino sani, tamen sublata erat, repellere studet. Sed Cruveilhier, Piorry Duplay, Buard et Belcher etc. lobos anteriores cerebri reperiebant morbosos sine ulla loquendi facultatis affectione, e contrario autem lobos anteriores plane sanos, dum loquendi facultas deerat. Secundum Andralii comparationem cf. 6. triginta septem casuum lobos anteriores morbosos continentium unus et viginti loquendi facultatem perditam, sedecim autem illaesam praebuerunt. Praeterea Andral septies loquelae jacturam lobis posterioribus laesis, anterioribus autem illaesis observavit, septiesque sanguine in lobis mediis effuso.

Symptomatum recensio.

Depressio cranii in regione frontali interdum occurrit scilicet in atrophia loborum anteriorum. Frequentissimum symptoma est dolor capitis, modo frontem, modo unum latus, modo totum caput occupans, interdum in accessionibus praecipue noctu apparens; nonaginta septem historiis morborum comparatis eum ter et vicies relatum inveni. E sensibus saepissime

---

5) Journal de phys. exp. et pathol. par F. Magendie T. VI. N. I. 6) Andral l. c. p. 145.

visus afficitur. Bis jactura omnium sensuum, bis eorum debilitas, visus duodecies, auditus bis, olfactus ter, gustus semel deficientes, visus et auditus debilitati bis, obnebulatio ante oculos bis, scintillatio semel, diplopia bis, susurrus ante aures bis, hyperacusis semel, pruritus in naso, effluxus puris e naso bis, pupilla dilatata septies, immobilis ter, semel coarctata, strabismus bis, oculi rigidi quinquies, nitentes semel in nonaginta septem casibus occurrunt.

Organa motoria persaepe afficiuntur. Convulsiones omnium membrorum septies decies, lateris sedi morbi oppositi quater, brachii lateris oppositi semel; convulsiones membrorum inferiorum quater, musculorum oculi ter, palpebrarum semel, musculorum faciei quater, colli semel; caput pronum semel, retroversum semel; trismus sexies; tetanus semel; contractio brachiorum semel, pedum bis; contractio membrorum ejusdem lateris semel, lateris oppositi bis; spasmi tonici in suris, femoribus et coxis semel; insultus epileptici quater, apoplectici octies; os distractum undecies; difficultas linguae porrigendae ter, paralysis linguae semel, paralysis lateris oppositi ter et vicies, brachii lateris oppositi quinquies, cruris lateris oppositi ter, membrorum eiusdem lateris semel, brachii ejusdem lateris semel, palpebrarum lateris oppositi bis, lassitudo omnium membrorum quinquies, rigiditas ter, paraplegia bis, degluticndi facultas sublata bis, incontinentia urinae quater, involuntaria alvi et urinae excretio quinquies, gressus vacillans semel, claudicatio semel observantur.

Sensibilitas cutis sublata quater, diminuta quater, in latere sedi morbi opposito sublata bis, in brachio lateris oppositi ter apparet.

Symptomata gastrica interdum reperiuntur, quorum frequentissimum est vomitus modo massae mucosae, modo biliosae, tum vomituritio, praeterea ructus, singultus, lingua albide obtecta, abdomen tumefactum, alvus obstructa, diarrhoea.

Delirium terdecies, somnolentia sexies, sopor sexies, conscientiae jactura terdecies, memoriae septies, intelligendi facultatis ter, hebetatio quinquies, mentis alienatio sexies et loquendi facultas sublata septies vicies, haesitantia linguae sexies in illis nonaginta casibus occurrunt.

Inflammatio.

Quum plerumque exitus inflammationis in cadavere secto reperiantur, observationes singularum cerebri partium inflammatarum rarissime occurrunt. Quod loborum cerebri anteriorum inflammationem attinet, eam lethalem inveni tribus in casibus, quorum primum Andral cf. 1, alterum Abercrombie cf. 2, tertium denique Bouillaud cf. 3. ita descripsere:

1. Iuvenis quidam dolore capitis, lingua in apice rubra, alvo obstructa et siti laborans subito interrogatus non respondebat, de re, quae ejus totam animi attentionem sibi vindicaret, cogitare videbatur, vultus erat turbatus, anxius. Sequente die stupor, pupilla dilatata, pulsus parvus, frequens, cutis frigida, ejus

1) Andral, cliniq. méd. T. V. p. 16. 2) *Pathol. u. prakt. Unters. über d. Krankh. des Gehirns u. Rückenmarks. übers. von v. d. Busch. p. 96.* 3) Traité cliniq. et physiol. de l'encéphal. par M. J. Bouillaud. Paris 1825. p. 162

sensilitas adaucta, symptomatis crescentibus iuvenis morti succubuit.

2. Symptomata haec sunt: dolor capitis vehemens crebraeque convulsiones, quibus silentibus tussis cum sputis sanguineis, spiritus ducendi difficultas in accessionibus apparens, pulsus frequens exortus est. Hisce post aliquot menses iterum recessis dolor in abdomine, praecipue in latere dextro, dysuria, vomitus, abdomen tumefactum, tensum et effluxus materiae purulentae e vagina, quo dolor decessit ex abdomine, et in capite iterum apparuit, dein photophobia, febris, couvulsiones, coma et mors.

3. Vir 60 annos natus memoriam et quinque diebus post loquendi facultatem amisit, respondit clamore dissono.

Suppuratio.

I. Materia purulenta duram matrem inter et arachnoideam: cf. 1, in latere dextro cf. 2, in latere sinistro simul cum fissura cranii et levi durae matris ruptione 3, in utroque lobo simul cum laesa substantia corticali 4, sanies inodora per anteriorum cerebri loborum superficiem extensa.

In casibus cf. 1. et 2. homines vulnerati erant in regione frontis, statimque post vulnerationem sui ip-

---

1) Morgagni, de sedibus et causis morbornm ep. 51. Nro. 15. 2) Morgagni l. c. ep. 51. Nro. 17. 3) *Schmuckers Wahrnehmungen aus d. Arzneik. 1. Thl. 1. Wahrnehm.* 4) Morg. l. c. ep. 5. Nro. 11.

sius inscii conciderunt, conscientia autem utroque in casu rediit, posteaque apparuerunt convulsiones et delirium cum dolore capitis, membrorum dorsique cum somnolentia, paralysi brachii dextri, sensibilitate in eo non plane sublata, motione cruris dextri et respiratione impedita cf. 2. In observatione, cujus Schmucker cf. 3. mentionem facit, vulnere teli ictu fronti illato nulla symptomata cerebri laesi conspicata sunt usque ad diem undecimum, quo pulsus febrilis, vertigo ante oculos, scintillatio et vehemens dolor capitis exortus est. Casus cf. 4. spectat ad sartorem, qui se vino implere consuetus, aphonia subito correptus intra biduum mortuus est.

II. Substantiae.

Quae apparent symptomata haec sunt: dolor ca pitis cf. 2, 3, 6, premens cf. 4, 5, tendens cf. 7, hemicrania noctu solum et mane apparens cf. 6; sensuum torpor cf. 3, 5; hyperacusis cf. 4; sensuum defectus cf. 4; vertigo ante oculos cf. 5; coecitas cf. 7; oculi rigidi cf. 5, immobiles cf. 5, nitentes cf. 8; pupillae dilatatae cf. 8, immobiles cf. 7; pruritus in naso

---

1) Abercrombie l. c. p. 150. 2) ibidem p. 138. 3) Bonet. sepulc. T. I. obs. 38. 4) *Johann Lebrecht Schmuckers vermischte chir. Schrift. Berl. u. Stett. 1786. Bd. II. p. 273.* 5) *Anatom. pathol. Unters. über d. Gehirn von Lallemand, übers. v. Carl Weese. T. II. Br. 3. Nr. 17.* 6) Lall. l. c. 2. Thl. 4. Br. Nro. 11. 7) Abercrombie l. c. p. 437. 8) Lall. l. c. 2. Thl. 4. Bd. Nro. 1. 9) *Mediz. chir. Zeitung. 1816. II. p. 28.*

cf. 4; loquendi facultas sublata cum stupore, si homo coactus erat, caput pronum trahere, et conscientia illaesa cf. 6; delirium cf. 9; sopor cf. 3, 4, coma vigilans cf. 3, 6, profundum cf. 1, 7; conscientiae juctura cf. 5, 8; spasmi manus pedisque lateris oppositi cf. 8; trismus cf. 5; contractio articulorum brachii utriusque lateris cf. 2; imbecillitas totius corporis cf. 2, lateris sedi morbi oppositi cf. 8; convulsiones membrorum lateris oppositi cf. 1, 4, musculorum brachii ac faciei ejucdem lateris cf. 5, oculorum et crurum lateris oppositi cf. 6, membrorum lateris oppositi et oculorum cf. 8; paralysis membrorum lateris oppositi cf. 1, 8, 9, ejusdem lateris cf. 5; alvi et urinae involuntaria emissio cf. 6; facies pallida cf. 5, rubra cf. 6; symptomata gastrica cf. 2; vomituritio cf. 4, 7; vomitus biliosi cf. 4, 5; singultus cf. 5; brevi tempore ante mortem coma, convulsiones, paralysis, paraplegia cf. 8; insultus apoplecticus cf. 6. —

Mollities.

Morbus plerumque incipit cum dolore capitis cf. 2, 6, praecipue in regione frontali cf. 5, per annos

---

1) Morg. l. c. ep. IX, 16. 2) *Rostan, über d. Erweichung des Gehirns, übers. v. Fechner. Leipzig. 1824. Beob. 17.* 3) Andral, cliniq. médic. V, p. 282. 4) Lallem. l. c. 2. Bd. 1. Br. p. 19. 5) Andral l. c. V, p. 299. 6) Cruveilhier, anat. path. liv. XX, p. 10. 7) Abercrombie l. c. p. 117. 8) Lallemand l. c. B. 2. Br. 2. Nr. 31. 9) ibidem B. 2. Br. 2. Nr. 8. 10) Rochaux, recherches sur l'apoplexie p. 178. 11) Calmeil apud Rostan l. c. obs. 19.

perstante et quidem in uno latere, aliis cerebri affecti symptomatis plane deficientibus cf. 7, profundo cf. 8; simul cum dolore formicatio in singulis membris, initio in manu sinistra et antibrachio sinistro, non multo post in pede sinistro, manu et pede dextro, tum difficultas linguae movendae, quae porrecta ad latus dextrum flectitur, contractio membrorum abdominalium, spasmi tonici musculorum in suris, femoribus et coxis, dein paralysis cruris utriusque, contractio brachiorum, facies livida, loquendi facultatis amissio, sensibilitas cutis obtusa cf. 2.

Hemicraniam secutus est sensus stuporis in pollice dextro, qui sensim per totum brachium se extendebat, tum paralysis brachii sinistri, crurisque, dein delirium maniacale, dolor acerbissimus per totum caput, paralysis lateris sinistri, trismus, corpus rigidum, quasi tetano correptum, coma et mors cf. 7.

In altero casu cf. 5. paralysin antecedebant dolor in fronte, stupor, vertigo ante oculos, susurrus ante aures, auditus difficilis, animus demissus, defectus sensualitatis in brachio sinistro, et dextro, quod altero die paralyticum erat, angulus oris dexter sursum tractus, coecitas oculi sinistri, post duos dies resolutio pedis sinistri, paralysis palpebrae oculi sinistri, linguae difficulter porrigendae deflexio ad latus sinistrum. Advenerunt somnolentia, intelligendi et loquendi facultas perdita, pulsus parvus, frequens. Semel oc-

---

12) Recherches, anat. path. sur l'encéph. et ses dépend. par F. Lallemand tom. III. p. 167. 13) Cruveilhier l. c. p. 265. —

currunt insultus epileptici cum delirio cf. 1.; percipiendi facultus diminuta cf. 3. Accessiones stuporis simul cum dolore capitis et conscientia amissa, vultus hebes, percipiendi facultas diminuta paralysin antecedunt cf. 6. Quae cum symptomata hoc in casu aliquod per tempus perstetissent, aegra inveniebatur mane conscientia orbata, paralysi brachii dextri cum rigiditate quadam affecta. Musculus pectoralis magnus erat contractus, vellicatio nec ullum motum, neque ullum dolorem efficiebat; nemini, quidquid interrogasset, respondebat, linguam non movebat; oculi erant clausi, facies pallida, respiratio facilis, pulsus tardus, incontinentia urinae, die sequente coma profundum, vomitus, pupillae pari modo contractae, paralysis incompleta cruris dextri, completa brachii dextri, respiratio profunda, tarda, iactatio membrorum lateris sinistri. Saepius insultus apoplectici effusionis sanguinis symptomata aemulantur; in casu cf. 9. talis insultus simul cum conscientia perdita, facie rubra, motu musculorum faciei, oculorum et brachii dextri convulsivo, respiratione impedita, posteaque secuti sunt trismus, sopor, convulsiones brachii dextri vehementiores et frequentiores, defectus sensibilitatis huius membri, paralysis incipiens et post aliquot menses mors. —

Apoplexiam cf. 10. dolor in coxis ac sensus ponderis in membris sinistris, et vomitus fluidi biliosi antecedunt, post insultum apoplecticum sopor et paraplegia. —

Femina quaedam cf. 11. ex nonnullis annis coeca concidit in cubiculo conscientia et motione orbata, caput ab altero ab alterum latus vertens, brachium dextrum, quod supra mentum movere non potuit, in-

quiete iactans, dum manus sinistra continue fronti imposita erat; vellicatio irritat aegrotam, interroganti non respondet, quamquam interrogata bene percipere videtur; lingua rubra, sicca, cutis calida, pulsus fortis, frequens, tum accessiones furoris, die sequente amentia, tertio os ad latus sinistrum distractum, quarto symptomata aucta et deglutiendi facultas exstincta, quinto hemiplegia et paralysis incipiens brachii alterius lateris, sexto oculi rigidi, facies longa, respiratio accelerata, stertorosa.

In casn cf. 4., ubi effusio sanguinis cum mollitie complicata, amissio visus, post aliquot dies loquelae, nam si aegrota respondere voluit interrogata, hocce fecit more eorum, qui naturaliter surdi iidemque muti sunt, motio linguae initio illaesa postea ad latus dextrum deflectebatur, tum paralysis lateris dextri, cutis torpida, facies pallida, os ad latus sinistrum distortum, strabismus, pulsus debilis, frequens, irregularis. —

Amentia cf. 12., totum latus dextrum minus evolutum, brachium dextrum brevius et ambitu minori, quam dextrum, pronum, inclinatum, eius motus impeditus, membrum abdominale dextrum minori ambitu, sed eadem longitudine quam sinistrum, claudicatio, os ad latus dextrum distractum.

Obs. cf. 13. Infans decem menses natus valde tabescebat, amensque fiebat, artus, praecipue brachii dextri contracti; nunquam loquebatur; eundem, in quo positus erat, situm tenebat; interdum vomitus et convulsiones.

Induratio.

Symptoma frequentissimum est dolor capitis, plerumque in regione frontali cf. 1, 2, 5, semel in regione parietali cf. 4., simul cum sensu ponderis cf. 1, in intervallis apparens cf. 5; loquendi difficultas cf. 1, loquela incondita cf. 3; olfactus amissus cf. 2; visus minutus cf. 1; diplopia cf. 5; pupillae dilatatae cf. 1; delirium cf. 1; convulsiones praecipue brevi tempore ante mortem vehementes et longius per tempus durantes cf. 1, 5; spasmi musculorum colli cum dolore cf. 5; insultus epileptici cf. 2; paralysis lateris oppositi cum contractione articulorum et dolore eorum extensione oriente cf. 4; sensus stuporis in membris lateris oppositi cf. 5; vomitus et alvus obstructa cf. 1.

Tumores

a. *membranarum.*

Quae occurrunt symptomata haec sunt: amissio visus et olfactus cf. 2, dolor in fronte cf. 1; dolor capitis intermittens, postea continuus cf. 3; rigiditas et imbecillitas membrorum, angulus oris sinister aliquantum depressus, urinae involuntaria excretio cf. 1, 3; macies,

---

1) Abercrombie l. c. p. 75. 2) Morg. l. c. ep. IX, 25. 3) Abercrombie l. c. p. 360. 4) Cruveilhier, anat. path. p. 280. 5) Abercrombie l. c. p. 157.

1) Cruveilhier. 2) Eodem. loco. 3) Andral clin. medic. V, p. 1.

facies pallida, flavescens, paralysis palpebrae superioris dextrae incompleta, lateris dextri completa, sensibilitas cutis diminuta, digiti brachii sinistri interdum sensibilitate carentes, frigidi, colore caeruleo, paralysis cf. 3; diarrhoea cf. 3; alvus obstipata, pulsus debilis, irregularis cf. 1, rarus cf. 3. —

b. *c e r e b r i.*

Dolor capitis modo per totum caput extensus, modo fixus in fronte cf. 1, modo in uno latere cf. 9, modo intermittens cf. 3, modo continuus cf. 2. Sensus saepe affecti sunt. Visus obscurus initio in oculo sinistro, tum in dextro cf. 2; obnebulatio ante oculos cf. 3, coecitas cf. 1, 2, 4, 5. Cruveilhier enarrat cf. 6: premente licet tumore in chiasma nervorum opticorum et bulbo nervi olfactorii destructo, aegrotum tamen olfactu non plane orbatum fuisse, sed potius pus foetidnm contubernalis carie vertebrarum aegrotantis odoratum esse, et qualis sit, quam naribus lubenter admovebat, herba nicotiana, bene distinxisse. Observantur porro loquelae et memoriae jactura cf. 5, anxietas cf. 7, tristitia cf. 3, 9, insomnia cf. 2, somnolentia sopor cf. 3, delirium, stupor, et dein coma profundum cf. 7, lethargia cf.

---

1) Dr. Powel a. Abercrombie l. c. p. 437. 2) Boneti sepulch. l. I. sec. 18. obs. 1. 3) Parent-Duchatelet et Martinet de l'Arachnitis p. 461. 4) Cruvelhier a. Abercrombie l. c. p. 436. 5) Bouillaud a. Abercrombie l. c. p. 438. 6) Cruvelhier l. c. 7) Dr. Mitivié a. Parent-Duchatelet et Martinet l. c. p. 467. 8) Abercrombie l. c. p. 419. 9) Lancisi de subit. mort. Genevae 1728. p. 35.

8, convulsiones cf. 2, 7, musculorum facici et palpebrarum cf. 3; trismus cf. 3, 7; facies tumida, mox rubra, mox pallida cf. 7; pallida cf. 3, pupillae dilatatae cf. 3, 7; oculi semiclusi, rigidi cf. 7; irritabilitas iridis sublata cf. 3, 7; caput retroversum, deglutiendi difficultas, contractio crurum, respiratio tarda, profunda, inaequalis cf. 7; stridor dentium cf. 2, 3, 7; rigiditas membrorum cf. 3, 7; insultus apoplecticus et mors cf. 1, 9.

Ossificatio.

Tres mihi obvenerunt casus, in uno, cujus Morgagni cf. 1 mentionem facit, os parvum duram matrem inter et arachnoideam dura matre illaesa, nullo symptomate in vita indicatum, in altero cf. 2. concrementa ossea in lobo anteriore hemisphaerii sinistri cum memoriae et iudicii debilitate, digestione turbata, qua de causa hypochondria usque ad mortem; et in tertio, quem Neumann commemoravit cf. 3. concrementa lapidea magnitudine pisi hypochondriam et insaniam adduxerunt.

Hydatides.

Romberg cf. 1 in cerebro dissecto viri, qui ex longo tempore ebriosus mania laborabat, in utroque lobo anteriore hydatidem invenit.

---

1) Morg. ep. LII. Nro. 32. 2) *Romberg in Nasses Zeitsch. 1823. St. 3. S. 203.* 3) Dr. *Carl Georg Neumann von den Krankh. des Gehirns p. 470.*

1) *Romberg in Nasses Zeitsch. 1813. St. 3. S. 195.* 2) *Hufelands Journal V. 813.*

Femina cf. 2. spasmis clonicis, ter insultu epileptico cum dolore, premente, remittente in latere dextro capitis affecta febri remittente inflammatoria cum deliriis jocosis et brevi tempore ante mortem maniacalibus, convulsionibusque vehementissimis brachii et cruris sinistri mortua est; cranio aperto in regione suturae coronalis in hemisphaerio sinistro hydatis magnitudine nucis juglandi conspiciebatur.

Abscessus serosus.

In observatione a Boneto cf. 1 nullum symptoma praeter vehementissimam cephaleam; in altero cf. 2. insultus epileptici et amaurosis.

Effusio sanguinis.

In casibus, quos n. 1—8 infra designavimus, cernitur sanguis effusus in ipsa lobi anterioris cerebri substantia, in reliquis arachnoideam inter et duram

---

1) Boneti sep. T. I. obs. 2. 2) Johannes et Carolus Wenzel de penit. struct, cerebri. Turingae 1812. p. 114.

1) Andral, clin. méd. V. p. 225. 2) De l'operation du trépan bans les plaiès de tête par A. A. M. L. Velpeau. Bruxellés 1835. p. 63. 3) Serres, Anat. comp. du cerv. T. II. p. 680. 4) Abercrombie l. c. p. 447. 5) eod. l. p. 300. 6) eod. l. p. 304. 7) *Hufelands Journ. I. 527.* 8) Morg. ep. 51, 32. 9) eod. l. ep. 52. p. 34. 10) Boneti, Anat. pract. l. I. sect. XV. obs. 9. 11) Morg. ep. 52. n. 32. 12) *Hufelands Journal.* I. 525.

matrem cf. 8, 9, superficiem cerebri ambiens et in substantiam conticalem penetrans cf. 7, aut ex cavo quodam via per substantiam cerebri patefacta inter meninges cf. 5, aut in ventriculis cf. 6 conspicuus.

Sanguine effuso homines mentis non compotes subito cf. 1 aut prodromis e. g. dolore capitis cf. 5, 6, vertigine cf. 3, 6, sensu ponderis in capite cf. 4, lassitudine membrorum cf. 4 praegressis conciduut. Conscientia reddita paralysis linguae cf. 1, loquelae jactura cf. 1, 4, intelligendi facultas debilitata cf. 1, 4, paralysis musculorum faciei lateris oppositi cf. 1, 3, cruris lateris oppositi cf. 2, 3, hemiplegia lateris oppositi cf. 1, 4, involuntaria urinae emissio cf. 1, 3, 9, retentio urinae cf. 2, coma cf. 4, 6, convulsiones cf. 2, observantur. Alia symptomata, quae insultum apoplecticum committunt, sunt: facies rubra cf. 1, 3, pallida cf. 2, 5, 6, conjunctiva oculorum rubra cf. 1, oculi rigidi cf. 2, delirium cf. 3, convulsiones leves cf. 5, vomitus cf. 5, 6. Sunt casus, ubi homines subito loquelam perdunt conscientia illaesa simul cum vomitu cf. 7, 9; aut vomitus solum et convulsiones exoriuntur cf. 8, aut hemiplegia subito exorta et visus amissus in latere resoluto cf. 10; aut vomitus, paralysis membrorum, et loquela sublata cf. 11; conscientiae jactura et convulsiones cf. 12. sanguine inter duram matrem et arachnoideam effuso.

Pressus.

Quodcunque corpus alienum cerebrum offendit, seu in ipso genitum seu extrinsecus admotum, aut

irritat aut comprimit. Quum autem de pressu, quatenus tumoribus aliisque degenerationibus in membranis cerebroque ipso exortis, sanguine aliisque humoribus in eo effussis gignuntur, jam fuit sermo; hic de pressu loborum anteriorum cerebri, cerebro ipso membranisque illaesis, nobis aliquid dicendum erit.

Home cf. 1, ex pressu utriusque lobi anterioris cranio nimis crasso sensum ponderis in capite memoriae jacturam et tristitiam, in altero casu insultum apoplecticum, sensum ponderis in sincipite et memoriam amissam, in tertio casu spasmos membrorum abdominalium, et memoriam sublatam, in quarto casu ubi unciae tres sanguinis coagulati sub anterioribus cerebri lobis conspiciebantur, singultum et rigiditatem observavit.

Dr. Klein cf. 2, ex premente lamina ossis frontis fracti vertiginem, obnebulationem ante oculos, delirium, hemiplegiam, involuntariam alvi et urinae excretionem, visum auditumque debilitatos, dolorem vehementem in fronte, conscientiae iacturam et gemitum exortum esse vidit.

Atrophia.

Lobos anteriores cerebri saepius aliis atrophos fieri, et quidem aut unum aut utrumque Andral affirmat cf. 1.

---

1) Home in Meckels Archiv. B. 3. H. 1. p. 112 u. 114. 2) *Journ. d. Chir. u. Augenheilk. v. Gräfe u. Walther B. III. H. 1. p. 219.*

1) *Vorles. über d. Krankh. der Nervenheerde l. c.* p. 190.

In utriusque defectu plerumque frontem depressam, aut, si locum substantia carentem copia quaedam fluidi serosi vel saccus sero plenus teneat, normali modo formatam se vidisse contendit. —

Percipiendi et intelligendi facultas plerumque turbata aut plane sublata est.

Cruveilhier cf. 2, profert historiam morbi puellae XV. annos natae, quae a prima aetate amens neque ipsa vestem sibi induere, neque cibum sumere potuit, et quamvis membra bene movere posset, tamen semper eodem in statu, in quo posita erat, remanebat caput ab altero ad alterum latus vertens. Olfactu prorsus carebat, ceteri sensus integri. Cibos poscebat voce clara, si verberibus intentabatur, ingentem tollebat clamorem. Cranio post mortem aperto, uterque lobus anterior deerat, quorum in loco saccus sero plenus conspiciebatur. — Amentia a prima aetate observate est, ubi sectione facta defectus lobi anterioris hemisphaerii sinistri reperiebatur cf. 3, cujus in loco tumor aquosus, circumscriptus erat. — Olfactum in observatione a Cruveilhier commemorata deficientem jam vidimus. Breschet cf. 4. mentionem facit duorum liberorum, qui, quamvis uterque lobus anterior cerebri deerat, membra tamen bene movere poterant; unus ex iis autem erat coecus. Sunt autem observationes, in quibus imbecillitas, quae sensim in paralysin transit, apparet. Cazauvielh enarrat cf. 5. hanc histo-

---

2) Cruveilhier, anat. path. liv. VIII.p. 247. 3) Archives général de médécine 1826. p. 472. 4) Andral cours de path. int. T. III. p. 113. 5) Cazauvielh. cf. Archiv. général e médéc. T. IV. p. 17.

riam morbi: Maria N. 68 annos nata membrorùm lateris dextri motu privata, quorum imbecillitas innata erat, continue dorsum manus tenebat pectus versum. Membrum abdominale dextrum minori ambitu et longitudine erat, quam sinistrum, os continue ad latus sinistrum distortum, pupilla sinistra minus contracta, quam dextra. — Lobus anterior hemisphaerii sinistri parum evolutus, in ejus posteriore et externa parte cavum vacuum amygdalae magnitudine.

In atrophia lobi dextri observavit Cazauvielh cf. 6 minorem evolutionem membrorum lateris oppositi simul cum paralysi et mente debilitata. Cranium in anteriore parte parum evolutum erat, crassius et magis depressum in latere dextro, quam sinistro.

Andral cf. 7. enarrat, virum 71 annos natum in statu quasi pueritiae in nosoçomium receptum membrorum lateris dextri motu et sensibilitate privatum, qui balbutiens nonnulla verba exprimere potuit, pro quarta anteriore parte hemisph. sinistri saccum fluido candido plenum habuisse.

Vulnera.

Lobos anteriores cerebri facilius, quam alias cerebri partes vulnerari posse; ex eorum situ, ex defectu pilorum, qui frontem minus, quam reliquum caput obtegunt, satis patet. An autem pro vero vendi possit, vulnera huic cerebri parti inflicta minus lethalia esse, quam, quae alias cerebri partes offendant, dis-

---

6) Cazauvielh l. c. p. 20. 7) Andral clin. méd. V. p. 440.

cernere non audeo. Id quidem constat, homines ex vulneribus hujus cerebri partis, quamquam gravioribus, feliciter sanatos esse. Et immo observationes de lobis anterioribus cerebri vulneratis adsunt, quibus quodque laesi cerebri symptoma deest cf. 1, 2. In alio casu cf. 3. nullum symptoma praeter dolorem capitis, et cas. 4, ubi teli ictu fronti illato homo visu solum orbatus est, quamquam circiter unciae tres substantiae cerebri perditae et glans sclopeti in cerebro remansit.

Iustius Arnemannn cf. 5. mentionem facit hominis, qui triginta per annos sclopeti glandem per orbitam oculi dextri usque ad os petrosum penetratum secum tulerit, et nisi trismo redeunte, quoties ossium assulae ex vulnere, naso et ore abierint, omni affectione careret. Insignem et notatu dignum casum de

---

1) Guilh. Fab. Hildani op. obs. med. chir. cent. I. 2) Morg l. c. ep. 51. n. 57. 3) John Kirby *in d. med. chir. Ztg.* 1819. IV. 247. 4) Bulletin de la Sociéte de méd. de grand au Dr. Burggrave obs. de succide. 5) Iustius Arnemann *Vers. über d. Geh. u. Rückenmark. Göttingen 1787. p. 136.* — 6) Larrey in Meckels Archiv. B. IV. S. 96. — 7) *Ferdinand Martini, Betrachtungen in d. Lehre v. d. Kopfwunden. Hamburg 1780. S. 195.* 8) *Schütte in d. Harlemmer Abhandlung Thl. I. St. 1. S. 67.* 9) *Joh. Jac. Wepferi obs. med. pract. de affect. capitis int. et externis obs. 18.* 10) *Schmuckers chir. Schriften Berl. u. Stettin 1785. S. 268.* 11) *Joh. Jac. Wepferi hist. apop. XI. p. 330.* 12) *Morg. l. c. ep. 51. n. 35.* 13) *O. Halloran a. Abercrombie l. c. p. 337.* 14) *Eduard Nealy u. d. Sammlung. auserl. Abhd. XXVII. S. 198.* 15) *E. Barlow. ibid. XXII. S. 298.*

lobo anteriore cerebri vulnerato et sanato commemorat Larrey cf. 6: vir in pugna gladio per sinistram fossam nasalem et os cribrosum in lobum anteriorem usque ad anteriorem corporis callosi partem penetrato vulneratus statim omnibus sensibus privatus erat.

Per mensem coecitate, tum diploplia oculi sinistri laborabat. Olfactus omnino, gustus in dextro latere linguae sensim rediit. Lingua ad latus dextum, os ad sinistrum latus distractum, ante aures initio plane surdos, postea susurrus erat. Primo tempore post vulnerationem loquendi facultas sublata, postea lingua solum haesitabat. Dum initio motio et sensibilitas in latere sinistro corporis perditae erant, postea solum motus defuit. Nominum memoria et percipiendi facultas plane exstinctae sensim redierunt. — Osborne enareat de milite quodam, qui teli ictu in regione frontali vulneratus memoriam nominum substantivorum et propriorum perdidit; alterum alterius militis, qui in suprema frontis parte caesim vulneratus loquendi facultatem amisit, quare putat, supremam loborum anteriorum cerebri partem facultatis loquendi esse sedem. Quibus exceptis quinquies in quindecim vulnerum casibus loquendi facultas sublata reperitur cf. 7, 8, 9, 10, 11, linguae haesitantia cf. 6, 9, 12, visus, gustus et olfactus sublati cf. 6, visus sublatus cf 4, auditus amissus cf. 9, resolutio membrorum lateris oppositi cf. 6, 7, 9, 10, 13; sensibilitatis defectus cum rigiditate cf. 15, convusiones cf. 10, 14, 16, dolor capitis cf. 3, 9, 14, sopor cf. 10, 12, 15, somnolentia cf. 14, stupor cf. 9, 10, 16; vomitus cf. 9, 10, 16; urinae incontinentia cf. 8; alvi et urinae incontinentia cf. 10, alvus obstructa cf. 10. —

Casus in clinico medico Bonnensi observatus.

R. Bender e pago Titz prope Leodium, triginta annos natus, mercenarius, a pueritia optima gavisus est valetudine. Vino, praecipue e frumento facto, deditus erat, eoque plenus saepius rixam intendebat. Die 2. Dec. 1837 in caupona cum aliis confligens emunctorii acumine in sinistro latere ossis frontis ab adversario vulneratus et urceum vino plenum secum gerens domum venit, ubi ab uxore aquam petiit ad vulnus, e quo parum sanguinis effluebat, lavandum. Eum hac vice non ebrium paulo post se in lectum recepisse, noctu, ut solito, bene dormiisse, alteroque die usque ad tempus vespertinum bene se habuisse, tum autem dolore capitis, praecipue in loco vulnerato, frigore, dentium crepitu, subsequente calore, ardore in vola manus et pedis correptum esse, nocte sequente non dormiisse, de dolore capitis semper crescente esse questum, uxor, quae viro invito e clinico medico auxilium petierat, non prius, quam d. 3. Dec. retulit. Die 4. Dec. hora 2 $^{1}/_{2}$ pomeridiana vir iste questus est de dolore pulsante, interdum pungente in latere sinistro capitis, saepius manum ducens ad frontem. Expeditae surrectioni e lecto nil, nisi vertigo obstitit, quaestionibus bene respondit, pupillae normales, membrana mucosa nasi sicca, lingua in apice rubra, in radice albide obtecta, nausea, alvus mane soluta, urina rubra, dolor in regione epigastrica sub pressu crescens, pulsus supressus, quod frequentiam attinet, normalis, sudor aquosus per totum corpus. Cucurbitis octo in regione epigastrica positis dolor

abdominis evanuit, capitis remisit. Matutino tempore diei 5. Dec. aegrotus jacens in latere sinistro inventus est a medico, cui uxor dixit, per totam noctem eum tali modo cubuisse, neque ad ea, quae ex illo interrogasset, respondisse. A medico e somno expergefactus se vertere et assidere coepit, et manum ad examinandum pulsum porrexit, os aperuit sine opera et ad linguam porrigendam vim habere non videbatur, postea autem eam porrexit; quaesitus non respondebat renuens. Oculi erant rigidi, pupillae dilatatae, tarde contrahebantur. Aegrotus saepe manum ducebat ad frontem et tempora sinistra, premendo abdomine nullum sentiebat dolorem. Ex nonnullis diebus nulla alvi et urinae excretio, cutis madida. Tum enarravit uxor, quid viro d. 2. Dec. in caupona acciderit. Capite statim perscrutato vulnus 2‴ longum, fasciculo crinum obtectum, et pure flavo plenum in regione temporali sinistra, in osse frontis, inventum est; specillo inducto nulla ossis laesio sentita est; partes circumjacentes nec tumuerunt neque ejus calor adauctus est. Diagnosis: encephalitis. Venaesectione unc. XVI. in brachio dextro instituta arteriarum pulsus liberius pulsabat, clysmate ex aqua et aceto applicato alvus semel est soluta. Meridie vulnere scalpello dilatato cranioque denudato nulla cranii laesio inventa est. Hora tertia pomeridiana, quum pulsus esset depressus, unc. XVI. sanguinis iterum detractae sunt, quo pulsus liberior fiebat. Sanguis prima et secunda vice detractus crustam inflammatoriam praebebat. Fomenta frigida ad caput applicabantur. Quum oleo ricini bis porrecto alvus non esset soluta, oleum crotonis est praescriptum, quo faeces non multo post

depositae. Die 6. Dec. circa horam septimam matutinam aegrotus ad mensam sedens a medico inventus est lecto relicto, quem non multo post vacillans repetiit. Lingua erat fusce obtecta, facultas loquendi nondum redierat; pulsus duriusculus, frequentior quam antea, alvus mane soluta. Fomenta frigida continuebantur. Interne praescripta est solutio Kali nitrici cum Natr. sulph. Tempore pomeridiano aegrotus iterum lectum reliquit et ambulavit aliquas minutas in cubiculo. Vesperi quarta venaesectio.

Nocte subsequente convulsiones musculorum faciei, maxilla inferior celeri motu huc et illuc agebatur, larynx celeriter ascendebat et descendebat. Tales convulsionum accessiones minutam dimidiam durantes noctu, brevioribus autem intervallis mane die 7. Dec. apparuere. Membra, praecipue manus dextra, frigida et brachium dextrum paralysi incompleta affectum esse videbatur.

Hora decima die 7. Dec. convulsiones faciei fere continuae. Bichorio gr. 2 Calom. interne sumebantur et ungt. Hydr. cinn. capiti infricabatur. Glacies capiti imponebatur. Meridie respiratio impedita, ronchus trachealis. — D. 8. Dec. convulsionibus faciei advenerunt convulsiones crurum, pulsus frequentissimus, intermittens, facies hippocratica. Sumsit Calom. cum Digit. Vesicans ad nucham. — Die 9. Dec. hora quinta matutina lectum reliquit, infanti porrexit manum, uxori aliquid dicendum habere visus et lecto recuperato non multo post demortuus est. —

Sectio cadaveris d. X. Dec. 1837.

Integumentis cranii detractis in osse frontis lateris sinistri prope suturam coronalem vulnus 1''' lon-

gum, 5''' ab anteriore segmento lineae semicircularis ossis frontis et bregmatis distans, sursum et retrorsum directum, per quod specillum in cerebri substantiam penetrabat, conspici licuit.

Cranio dempto foramen durae matris vulneri cranii respondens visum est. Color durae matris non mutatus, rami arteriae meningeae turgidi. Specillum per foramen sine impedimento penetravit. Detracta dure matre in interna eius facie circum foramen illud apparuit tegumen tenue materiei albide-flavae, tenacis, 28''' in longitudinem, 23''' in latitudinem extensum; in superficie arachnoideae jacuit massa eiusdem naturae et extensionis, qua abstersa vulnus parvum, rotundum, pure plenum, cuius in circuitu circus sanguineus, vix conspicuus, sub vulnere abscessus parvus, purulentus, cuius diameter transversus 2''', verticalis 3''' erat; substantia cerebri circumiacens emollita; sinus longitudinalis sanguine plenus.

C o r r i g e n d a:

vide p. 5 s. 8. pro *facultatis* — lege: *facultas diminuta*.

VITA.

Natus sum *Christophorus Mueller*, Rietbergensis, anno millesimo octingentesimo undecimo, die decimo sexto Octobris, patre *Petro Mueller* et matre *Agnesia* e gente *Koerber*, quos adhuc inter vivos pio animo veneror. Fidem confiteor catholicam. Litterarum elementis in progymnasio Rietbergensi me imbui, et tum gymnasium Padibornense per duos annos frequentavi. Hic testimonio maturitatis instructus per duos annos theologiae studio operam dedi. Anno millesimo octingentesimo tricesimo tertio almam petii universitatem Bonnensem, ibique a rectore Magnifico cl. *Brandis* in civium academicorum numerum receptus et apud cl. Prof. *Mayer*, gratiosi medicorum ordinis tt. decanum spectatissimum, nomen professus sum.

Lectiones, quibus per quatuor annos et dimidium interfui, hae sunt:

I. Philosophicae:

Logica et psychologia apud cl. *van Calker*; physica experimentalis apud beatum *a Muenchow*; botanica apud cl. *Treviranum*; mineralogia apud cl. *Noeggerath*; zoologia apud cl. *Goldfuss*; chemia experimentalis apud cl. *G. Bischof*.

II. Medicae:

Encyclopedia et methodologia artis medicae et materia medica apud cl. *Albers*; situs viscerum apud cl. *Weber;* anatomia corporis humani et comparata apud cl. *Mayer* et cl. *Weber;* physiologia apud cl. *Mayer;* historia generationis et pathologia generalis apud cl. Dr. *Th. Windischmann;* geographia, hydro- ac balneographia medica, expositio Hippocratis libri de decore et honestate medici, therapia generalis, materia medica apud cl. *Harless;* materia medica, medicina forensis et epizootiae apud cl. *Ernest. Bischoff;* therapia generalis et specialis, colloquia de gravium morborum casibus apud cl. *Fried. Nasse;* anatomia pathologica, doctrina de ossium fracturis et luxationibus apud cl. *Herm. Nasse;* pathologia et therapia morborum chronicorum apud cl. *Naumann;* anatomia chirurgica, chirurgia, praecepta operationum chirurgicarum, morbi oculorum, ars fascias rite applicandi, lectiones de casibus clinicis, memorabilibus apud cl. *Wutzer;* doctrina artis obstetriciae, morbi puerorum apud cl. *Kilian.*

In exercitationibus practicis duces mihi fuerunt: in secandis cadaveribus cl. *Mayer* et cl. *Weber;* in exercitationibus obstetriciis ad phantoma, in clinico obstetricio per annum et dimidium cl. *Kilian;* in operationibus ad cadavera instituendis, in clinico chirurgico-ophthalmiatrico per annum et dimidium cl. *Wutzer;* in clinico medico per duos annos cl. *Fr. Nasse;* per tres menses nosocomium Siegburgense, quod duce cl. *Jacobi* floret, frequentavi.

Quibus praeceptoribus omnibus pro summis in me meritis, gratias habeo semperque habebo maximas.

Theses defendendae.

---

1. *Bilis parum ad concoctionem.*
2. *Functiones singularum cerebri partium distinguere non possumus.*
3 *Decussatio fibrarum cerebri in corporibus pyramidalibus non sufficientem paralyseos in latere sedi morbi cerebralis opposito exorientis causam praebet.*
4. *Alienatio mentis est morbus symptomaticus.*
5. *Bubonem syphiliticum ad resolutionem ducere licet.*
6. *Hunteri methodus aneurismatis operandi ceteris praestantior.*
7. *Perinaei sustentatio in partus decursu minime negligenda.*